

bent proprium esse, sed sunt per esse totius, ut dictum est. Aliud est quod partes componentes caudant esse totius. Secundum autem tertiam, & priam opinionem neutrum horum invenitur in Christum: quia opinio prima dicit, quod hic homo habet esse suum proprium, unde esse divinæ personæ ad ipsum non pertinet: similiter tertia opinio dicit, quod esse superadditum ad esse divinæ personæ accidentaliter: unde anima, & corpus non dicuntur partes personæ, sicut nec accidentia subjecti: unde neutra ponit personam Verbi compositam. Sed secunda ponit unum esse in Christo: unde esse divinæ personæ pertinet ad utramque naturam. Non tamen illud esse causatur ex conjunctione naturarum, sicut esse compositi causatur ex conjunctione componentium. Unde secundum hanc opinionem persona Christi post incarnationem potest dici aliquo modo composita, in quantum ibi salvatur aliqua conditio compositi; non tamen est ibi vera ratio compositionis, quia deficit ibi altera conditio: unde etiam non est in usu modernorum hanc opinionem tenentium, quod dicant personam compositam. Nec dicendum, quod dicatur composita secundum expositionem nominis, quasi cum alio posita: quia sic prima opinio, & tertia ponerent personam compositam, sicut & secunda.

Ad primum ergo dicendum, quod in persona composita quamvis sint plura bona quam in persona simplici, quia est ibi bonum increatum, & bonum creatum; tamen persona composita non est majus bonum quam simplex: quia bonum creatum se habet ad bonum increatum sicut punctus ad lineam, cum nulla sit proportio unius ad alterum: unde sicut lineæ additum punctum, non facit majus; ita nec bonum creatum additum in persona bono increato facit melius: vel etiam quia tota ratio bonitatis omnium bonorum est in Deo, unde, & ipse dicitur omne bonum: unde non potest sibi fieri additio alicujus boni quod in ipso non sit.

Ad secundum dicendum, quod persona non dicitur composita, quasi esse suum sit ex multis constitutum (hoc enim est contra rationem æterni) sed quia ad multa se extendit, quæ assumuntur in illud esse.

Ad tertium dicendum, quod de ratione summæ simpliciter est quod nec sit composita ex partibus, nec componibilis alteri tamquam pars. Sic autem persona non est composita, quia neque est pars, neque ex partibus constituta.

Ad quartum dicendum, quod quamvis compositio quantum ad aliquid salvetur in incarnatione Verbi, nullo tamen modo est ibi ratio partis. Divinitas enim pars esse non potest, propter imperfectionem quæ est de ratione partis: humana autem natura similiter non potest esse pars, quia compartem non habet, vel etiam quia non causat esse personæ quæ dicitur composita. Et ideo Magister dicit in sequenti dist. quod inexplicabilis est illa compositio quæ non est partium. Ratio autem dicitur à Magistris unio exigitiva: quia tot comprehenduntur in persona quot exiguntur ad opus redemptionis, ut sit Deus qui possit, & homo qui debeat satisfacere.

Ad quintum dicendum, quod Damascenus dicit compositam hypostasim, in quantum est ibi aliquid de ratione compositionis, non quod sit simpliciter composita quantum ad perfectam rationem compositionis.

Ad sextum dicendum, quod allegatio illa sumitur quantum ad similitudinem numeri, non quan-

tum ad similitudinem totius, & partis.

Ad septimum dicendum, quod similitudo illa est quantum ad aliquid, & non quantum ad omnia, ut patet ex dictis.

Ad ultimum dicendum, quod totum, præter hoc quod est compositum ex partibus, habet aliud de ratione sui, scilicet quod ei nihil deest eorum quæ debet habere; & secundum hoc sumitur à Damasceno.

QUESTIO III.

Deinde queritur de his quæ pertinent ad tertiam opinionem: & circa hoc queruntur duo.

Primo. Utrum ex anima, & corpore Christi fuerit aliquid compositum.

Secundo. Utrum anima, & corpus fuerint unita divinæ personæ accidentaliter.

ARTICULUS I.

Utrum in Christo fuerit aliqua compositio animæ, & corporis.

III. P. quas. 11. art. 5.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod non fuerit aliqua compositio animæ, & corporis in Christo. Supra enim dist. 11. probavit Magister, quod nomine humanæ naturæ intelligitur anima, & corpus: nec ita accipitur in Christo sicut in aliis. Cum ergo in aliis hominibus accipiatur humana natura pro eo quod compositum est ex anima, & corpore; videtur quod in Christo accipiatur pro partibus non compositis.

2. Præterea. Damascenus dicit (Lib. III. de Fide cap. ix.) quod in Domino Jesu non est commune speciem accipere. Sed ex anima, & corpore unitis surgit natura speciei. Ergo videtur quod non fuerint ad invicem unita in Christo.

3. Præterea. Post ultimam compositionem non potest esse alia compositio. Sed ultima compositio in natura est animæ rationalis ad corpus. Ergo si ista unio esset in Christo, non posset sequi unio ad divinam personam.

4. Præterea. Anima non jungitur carni, nisi cor vivificet ipsam. Sed caro poterat vivificari ex unione ad ipsam vitam, scilicet Verbum. Ergo non oportuit quod carni uniretur.

Sed contra. Homo univoce dicitur de Christo, & aliis hominibus: alias non esset ejusdem speciei, nec per eam deberet satisfieri pro peccatis humani generis. Sed de ratione hominis, secundum quod predicatur de aliis, est compositio animæ, & corporis. Ergo & in Christo fuit unio animæ, & carnis.

Præterea. Corpus non est animatum, nisi anima jungatur ei quasi forma. Si ergo anima non fuisset unita corpori Christi quasi forma, fuisset corpus illud inanimatum; & ita non fuisset assumptibile.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod unio animæ ad carnem constituit rationem hominis, & omnium partium ejus: unde remota anima, non dicitur homo, nec oculus, nec caro, nisi æquivoce, sicut homo pictus, & ideo si tollatur unio animæ Christi ad carnem ejus, sequitur quod non sit homo verus, nec caro ejus vera; quod est contra articulum fidei: & ideo

ideo hæc opinio tertia non solum est falsa, sed hæretica, & in Concilio Ephesino sub Cælestino I. Papa condemnata. Tamen ista opinio videtur ex eodem fonte processisse cum prima, scilicet ex hoc quod credebant omne compositum ex anima, & corpore habere rationem hominis: & ideo quia prima opinio posuit animam, & corpus unita ad invicem, esse assumpta, coacta fuit ponere hominem esse assumptum, & Christum esse duo. Hæc autem opinio, ut hoc negaret, posuit animam, & corpus esse assumpta non unita. Secunda vero utrumque evitat, ut dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod non fuit intentio Magistri dicere, quod per humanam naturam in Christo significentur corpus, & anima non unita: non enim quantum ad hoc assignat differentiam, sed quantum ad hoc quod humana natura in aliis consurgit ex omnibus quæ substantialiter in ipsis sunt; in Christo autem non, sed solum ex corpore, & anima.

Ad secundum dicendum, quod Damascenus loquitur quantum ad unionem Divinitatis ad humanam naturam, ex qua non consurgit tertia natura speciei, non quantum ad unionem animæ ad corpus.

Ad tertium dicendum, quod compositio animæ rationalis ad carnem est ultima in operibus naturæ; sed compositio humanitatis ad personam Verbi non fit operatione naturæ, sed virtute divina.

Ad quartum dicendum, quod verbum vivificat carnem Christi active, & non formaliter: & ideo requiritur anima, quæ formaliter vivificet.

ARTICULUS II.

Utrum humana natura Verbo accidentaliter uniatur.

III. P. quas. 11. art. 6.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod humana natura accidentaliter Verbo uniatur. Ad Philip. 11. 7. *Habitu inventus ut homo.* Ergo cum habitus sit genus accidentis videtur quod Deus fuerit homo accidentaliter.

2. Præterea. Omne quod advenit post esse completum, est accidens. Sed humana natura advenit Filio Dei post esse completum ipsius. Ergo advenit ei accidentaliter.

3. Præterea. Secundum Philosophum, in subjecto dicitur esse quod est in aliquo non sicut pars. Sed humanitas in Christo non est sicut pars, ut dictum est. Ergo est in eo sicut in subjecto. Sed in subjecto esse est proprium accidentis. Ergo unitur Verbo accidentaliter.

4. Præterea. Accidens est quod adest, & abest præter subjecti corruptionem. Sed humana natura hoc modo se habet ad personam Filii Dei. Ergo unitur ei accidentaliter.

Sed contra est Decretalis Alexandri Papæ. (a) *Cum* (inquit) *Christus sit perfectus Deus, & perfectus homo; quæ temeritate audent quidam dicere, quod Christus, secundum quod homo, non est aliquid?* Sed predicatum accidentale non prædicat aliquid, sed aliquid se habens. Ergo homo non est prædicatum accidentale.

(1) Nicolai quod illud quod vere est, &c.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Tom. III. Concil. part. 11. sect. 2. ex Concilio Lateranensi III. tit. de hæreticis, cap. xxv. paullo aliter, & plenius. Refertur quoque sed summarie tantum Extra de hæreticis cap. *Cum Christus*, ad Archiepiscopum Rhemensem. (b) Ex Lib. III. de Symbolo ad catechumenos cap. v.

Præterea. Aristoteles in I. Physic. (text. xxvii. dicit: (1) *Quod vere est, idest substantia, fit accidens nulli.* Sed humanitas est substantia. Ergo non potest dici accidens alicui.

Præterea. Si est accidens, oportet quod alicui accidat. Non homini, quia per se convenit ei humanitas. Ergo accidit Filio Dei; quod est contra Boetium, qui dicit, quod in Deo non est aliquid accidens.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod quamvis hoc quod est accidens in se, possit esse aliquo modo substantia alicui, ut color albedini; tamen quod est in se substantia, non potest esse accidens alicujus; quamvis conjunctio unius substantiæ ad alteram possit esse accidens, ut sic una substantia alteri accidentaliter advenire dicatur, sicut vestis homini. Sed hoc non potest esse nisi dupliciter: vel quod conjungatur ei secundum contactum, sicut vestis homini, vel sicut dolium vino; aut sicut mobile motori, sicut Angelus conjungitur corpori quod assumit. Et cum contactus non sit nisi corporum, oportet dicere, quod humana natura non potest advenire divinæ personæ, nisi sicut mobile motori, ut dicatur Christus hoc modo assumpsisse naturam humanam, sicut Angelus assumit corpus, ut oculis mortalium videatur; sicut dicitur in littera; & sic Spiritus Sanctus visus est in columba. Hæc autem assumptio non vere facit prædicari assumptum de assumente; non enim Angelus assumens corpus ad hominis similitudinem, vere est homo, nec vere habet aliquas proprietates hominis; neque Spiritus Sanctus potest dici minor seipso propter speciem columbæ in qua apparuit, ut dicit Augustinus.

(b) Unde patet quod hæc opinio non potest dicere, quod Filius Dei vere sit homo, vere sit passus; & ideo cum neget veritatem articulorum, condemnata est quasi hæretica. Tamen etiam quantum ad hanc positionem procedit ab eodem fonte cum prima, scilicet ex hoc quod humana natura non assumeretur ad esse divinæ personæ. Unde prima opinio ponebat, quod assumptum habebat esse per se, in quo subsistebat: hæc autem tertia opinio ponit, quod non subsistit assumptum, neque persona in eo, sed est esse accidentale superadditum.

Ad primum ergo dicendum, quod humana natura in Christo habet aliquam similitudinem cum accidente, & præcipue cum habitu quantum ad tria. Primo quia advenit personæ divinæ post esse completum, sicut habitus, & omnia alia accidentia. Secundo quia est in se substantia, & advenit alteri, sicut vestis homini. Tertio quia melioratur ex unione ad Verbum, & non mutat Verbum; sicut vestis formatur secundum formam vestientis, & non mutat vestientem. Unde antiqui dixerunt, quod vergit in accidens; & quidam propter hoc addiderunt, quod degenerat in accidens: quod tamen non ita proprie dicitur, quia natura humana in Christo non degenerat, immo magis nobilitatur.

Ad secundum dicendum, quod quamvis adveniat post esse completum, non tamen est accidentaliter adveniens: quia trahitur ad unionem in illo esse,

esse, sicut corpus advenit animæ in resurrectione. Ad tertium dicendum, quod quamvis non proprie possit dici pars, tamen aliquid habet de ratione partis; quod non habet accidens, ut patet ex dictis. Ad quartum dicendum sicut ad secundum.

EXPOSITIO TEXTUS.

Queritur, an his locutionibus Deus factus est homo, &c. . . dicatur Deus factus esse aliquid. Hic ponit tres quaestiones. Prima est, utrum homo aliquid prædicet de Christo. Et secundum primam, & secundam opinionem prædicat aliquid, quia de eo prædicatur in quid, quia est unio substantialis; secundum vero tertiam opinionem non prædicat aliquid, sed aliquo modo se habens. Secundam quaestionem ponit ibi: *Et an ita conveniat dici: Utrum homo factus sit Deus, sicut Deus factus est homo: quod prima opinio concedit; secunda, & tertia non, proprie loquendo, ut in sequenti dist. patebit. Tertia quaestio est, Si per huiusmodi locutiones, non dicitur Deus factus aliquid, quis erit in his intellectus? & hanc ponit ibi: Et si ex his locutionibus non dicitur Deus factus esse aliquid, vel esse aliquid quæ sit intelligentia harum locutionum, & similitum.*

*Alii enim dicunt, in ipsa Verbi incarnatione hominem quemdam ex anima rationali, & humana carne constitutum. Hic ponit positiones primæ opinionis, non omnes, sed quæ sufficiunt ad intellectum ejus: & prima positio est radix opinionis, scilicet quod anima, & corpus assumuntur unita (quod est contra tertiam) non solum ad constituendum humanitatem, sed etiam hominem (quod est contra secundam) & hoc est quod dicit: *Hominem quemdam: & quod ista unio animæ ad carnem, ex qua constituitur homo, præcedit unionem ad Verbum secundum intellectum; & hoc est quod dicit: Et ille homo cepit esse Deus: non autem tempore; & hoc est quod dicit: In ipsa Verbi incarnatione. Secundam positionem ponit ibi: Concedunt etiam hominem illum assumptum a Verbo, & unitum Verbo: & hoc est quod homo est assumptus, & quod assumens est assumptum; quod notatur in hoc quod dicit: *Tamen esse Verbum: & quod per assumptionem Deus factus est homo; unde dicit: Et ea ratione tradunt dictum esse Deum factum hominem. Tertia est quod homo factus est Deus, & è converso, ibi: Unde vere dicitur: Deus factus est homo, & homo factus est Deus. Quarta est quod homo dicitur compositum ex duabus substantiis, ibi: Cumque dicant illum hominem ex anima rationali, & humana carne subsistere, non tamen fatentur ex duabus naturis esse compositum.***

Et ne de suo tantum loqui videntur, hanc sententiam pluribus munitur testimoniis. Hic inducuntur auctoritates ad probandum primam opinionem.

Et (2) sciendum, quod quatuor probant per prædictas auctoritates. Primum est, quod Christus est duo; quod probant per primam auctoritatem, quæ incipit ibi: *Cum legitur, ex illo verbo: Utrumque simul unam personam. Item per secundam, quæ incipit, ibi: Jesus Christus, ex illo verbo, Utraque substantia, scilicet divina, & humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis, ex illo: Aliud propter Verbum, & aliud propter hominem. Item per quartam, quæ incipit ibi: Agnoscamus geminam substantiam, ex illo verbo, Utrumque autem simul, non duo,*

(2) *Al.* Et secundum quod quatuor probant prædictas auctoritates.

*sed unus est Christus. Quod autem dicitur: Utraque Christus, intelligendum est non proprie dici, sed materialiter; sicut paries, & rectum dicitur domus. Quod vero dicit, Aliud, & aliud, intelligendum est alterius, & alterius naturæ. Secundum quod probant, est quod homo factus est Deus: & hoc probant per tertiam auctoritatem, quæ incipit ibi: *Quid natura humana in Christo homine meruit? ex illo verbo, Quibus mireretur iste homo una fieri persona cum Deo. Item ex quinta, quæ incipit ibi: Ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? ex illo verbo: Ex quo ille homo esse cepit. Item ex sexta, quæ incipit ibi: Homo quicumque, ex illo verbo, Homo ille ab initio factus est Christus. Item ex septima, quæ incipit ibi: Gratia Dei nobis in homine Christo commendatur, ex illo verbo: Una cum illo persona Filius Dei fueret: quod qualiter intelligendum sit, in sequenti dist. dicitur. Tertium est, quod homo sit assumptus, & hoc probant per auctoritatem quintam, quæ incipit ibi: Ille homo ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? quæ expresse hoc dicit: & hoc in præcedenti dist. solum est: quia homo dicitur assumptus, idest natura hominis. Quartum quod probant, est quod homo constat ex duabus substantiis, per octavam auctoritatem, quæ incipit ibi: *Christum non ambigimus esse Deum Verbum: quæ expresse hoc dicit; sed Hilarius loquitur quantum ad formam significatam, non quantum ad suppositum.***

*Sunt autem alii. In hoc capite ponit positiones secundæ opinionis. Ponit ergo duas positiones ejus, in quibus tota consistit. Prima est, quod assumptum est compositum ex anima, & corpore per modum naturæ humanæ: quod patet ex hoc quod humanam naturam, ex qua, & divina dicit Christum constare, statim exponit per animam, & corpus, ex quibus non constat natura humana, nisi secundum quod sunt conjuncta ad invicem; & quod hoc compositum sit homo, habet ex unione ad divinam personam: unde dicit, quod homo ille non tantum constat ex anima, & corpore, sed ex his, & Divinitate; quod autem dicit, in parte consentiunt, intendit quantum ad hoc quod utraque ponit quod homo prædicat de Christo quid, & quod anima, & corpus sint unita ad invicem. Secunda positio est, quod persona Verbi ante incarnationem fuit simplex, sed post est composita: & post hoc removeret duo inconvenientia quæ videntur sequi. Primum est quod persona Verbi sit alia quam primo, quod removeret ibi: *Nec est ideo alia persona quam prius. Secundum quod persona sit facta, quod removeret ibi: Nec tamen persona illa debet dici facta persona.**

De hoc Augustinus in Lib. Sententiarum Prosperi ait. Hic ponit auctoritates probantes secundam opinionem, & probant duo, scilicet quod est una hypostasis, & quod persona post incarnationem est composita; quod satis patet in littera.

Sunt etiam alii qui in incarnatione Verbi non solum personam ex naturis compositam negant, verum etiam hominem aliquem, sive etiam aliquam substantiam, ibi ex anima, & carne compositam, vel factam dissentent. Hic ponit positiones tertie opinionis: & ponit quatuor, in quibus tota consistit. Prima est, quod ex anima, & corpore non fit aliquid unum; & hoc ponitur statim in principio.

Se-

Secunda, quod hæc duo adveniunt divinæ personæ accidentaliter, sicut indumentum; & hoc ibi: *Sed sic illa duo, scilicet animam, & carnem, Verbi personæ, vel naturæ unita esse ajunt, ut non ex illis duobus, vel ex his tribus, aliqua substantia, vel persona fieret. Et deinde removeret duo inconvenientia. Unum quod sequitur ex prima positione, scilicet quod Deus non sit verus homo; & hoc ibi, (3) *Qui ideo dicitur verus factus homo, quia veritatem carnis, & animæ accepit. Sed constat quod non potest evitare: quia remota unione animæ ad corpus, non invenitur veritas carnis; & præterea adhuc si sit vera caro, & vera anima, non erit verus homo, nisi sint unita. Secundum est quod sequitur ex secunda positione, scilicet quod si anima, & corpus adveniunt accidentaliter, non pertineant ad singularitatem divinæ personæ; quod removeret ibi: *Quæ duo etiam in singularitatem, vel unitatem suæ personæ accepisse legitur. Patet etiam quod non potest hoc inconveniens evitare; quia non sequitur: Si non addit ad numerum personarum, ergo pertinet ad singularitatem divinæ personæ: sicut etiam columba in qua Spiritus Sanctus (4) apparuit, non auget numerum personarum: non tamen pertinet ad singularitatem personæ Spiritus Sancti. Tertia positio est, quod persona Verbi est simplex post incarnationem sicut ante, in quo convenit cum prima; & hoc ibi: *Et quia ipsa persona Verbi quæ prius erat sine inamento, assumptione indumenti non est divisa, vel mutata. Quarta, quod homo de Deo non prædicat quid, sed habitum; & hoc ibi: *qui secundum habitum Deum hominem factum dicunt: & hoc probat ad inconveniens ducendo, ibi: Nam si essentialiter, inquit illi, Deus esset homo, vel homo esse Deus, intelligeretur; tunc si Deus assumpsisset hominem in sexu muliebri, & mulier essentialiter Deus esset, & è converso: quod tamen patet non esse inconveniens.*****

*Ne autem isti de suo sensu influere videantur, testimoniis in medium productis quod dicunt confirmant. Hic ponit auctoritates probantes hanc tertiam opinionem. Primum quod probant, est quod persona assumpta non fuit mutata per incarnationem, & quod humana natura non auget numerum personarum; & hoc per primam auctoritatem. Sed hoc non est contra secundam opinionem, quæ quamvis ponat personam (5) compositam, non tamen mutatam: nec sufficit ad probandum quod anima, & corpus non pertineant ad singularitatem divinæ personæ, quia non est auctus numerus personarum, secundum quod probatum est quod homo dicitur de Deo secundum habitum, & hoc per secundam auctoritatem, ibi: *Multis modis habitum dicimus, quæ expresse dicere hoc videretur. Item per tertiam, quæ incipit ibi, Si queritur ipsa incarnatio quomodo facta sit, ipsum verbum Dei dico carnem factum, ex illo verbo, Indutum. Item ex quinta, sexta, & septima, quæ Deum dicunt suscepisse hominem, aut humanam naturam, ut visibilis esset. Sed non oportet quod omne quod suscipitur, sit accidens. Item ex ultima, quæ incipit ibi: *Quomodo Dei Filius ex Maria est? ex illo verbo, Non fuit h abitus ille tantum hominis, idest puri hominis, sed ut hominis: quia purus homo videbatur propter habitum. Sed omnia hæc per similitudinem dicuntur, & non per proprietatem, sicut ex prædictis patet. Tertium est, quod Christus dicitur homo, quia habuit corpus, & animam sibi unita, ex quarta auctoritate, quæ incipit ibi: *Dei Filius cum sit Deus æternus, & verus, pro nobis factus est homo verus, & plenus, ex illo verbo: In eo plenus vero. Sed hæc auctoritas non negat unionem animæ, & corporis, immo magis ponit, per hoc quod dicit veram naturam: non enim est natura humana, nisi ex compositione animæ, & corporis.****

DISTINCTIO VII.

Positis sententiis, prolatisque testimoniis, intelligentias propositarum locutionum exequitur secundum singulas sententias, & prius secundum primam.

Secundum vero primam dicitur Deus factus homo, & homo factus Deus: quia Deus cepit esse quædam substantia rationalis, quæ ante non fuerat, & illa substantia cepit esse Deus; & hæc gratia, non natura, vel meritis habuit. Unde recte dicitur (Rom. 1.) Christus, in quantum homo, prædestinatus esse Filius Dei. Huic autem sententiæ opponitur. Si illa substantia cepit esse Deus, & Deus illa, quedam igitur substantia est Deus quæ non semper fuit Deus; & quedam substantia est Deus quæ non est divina substantia; & Deus est aliquid quod non semper fuit: quod & illi concedunt, Origenis testimonio innitentes, qui ait, (a) *Factus est sine dubio id quod prius non erat; sed addidit, secundum carnem: secundum Deum (6) vero erat prius, & non erat quando non erat. Aliis quoque pluribus modis illi sententiæ potest opponi, quibus supersedemus, exercitationis studium lectori relinquentes, & ad alia properantes.*

Hic explanat secundam sententiam, & earumdem locutionum sensus.

In secunda vero sententia hujus distinctionis talis videtur ratio, ut cum dicitur: *Deus factus est homo, & homo factus est Deus: quia Deus cepit esse quædam substantia rationalis, quæ ante non fuerat, & illa substantia cepit esse Deus; & hæc gratia, non natura, vel meritis habuit. Unde recte dicitur (Rom. 1.) Christus, in quantum homo, prædestinatus esse Filius Dei. Huic autem sententiæ opponitur. Si illa substantia cepit esse Deus, & Deus illa, quedam igitur substantia est Deus quæ non semper fuit Deus; & quedam substantia est Deus quæ non est divina substantia; & Deus est aliquid quod non semper fuit: quod & illi concedunt, Origenis testimonio innitentes, qui ait, (a) *Factus est sine dubio id quod prius non erat; sed addidit, secundum carnem: secundum Deum (6) vero erat prius, & non erat quando non erat. Aliis quoque pluribus modis illi sententiæ potest opponi, quibus supersedemus, exercitationis studium lectori relinquentes, & ad alia properantes.**

(3) *Al.* Quod ideo Deus. (4) *Al.* deest apparuit. (5) *Al.* oppositam. (6) *Nicolai ad marginem, vel secundum spiritum, ut Origenis textus habet, ubi & subiungitur quod licet in Latinis exemplaribus habeatur prædestinatus, in Græcis tamen habetur tantum destinatus.*

Ex Edit. P. NICOL. (a) In eum locum Apostoli.